

definitio; quæ ita træditur: Voluntas est facultas ani-  
mæ rationalis, boni per intellectum cogniti ap-  
petitiva.

§. 7. Genus constituitur *Facultas*. Ubi animadver-  
tendum, quod hæc vox potissimum duplicem admittat si-  
gnificationem. Notat enim (1.) primam aliquam Quali-  
tatis speciem, nempe Habitum, & definitum ab Aristotele  
*lib. I. Rhet. c. IO.* quod sit disciplina æquè contrariorum, quatenus  
scilicet de una eademque re per diversa principia probari  
potest opposita, cujusmodi disciplinæ sunt Rhetorica &  
Dialectica. (2.) Significat etiam secundam speciem quali-  
tatis, nempe potentiam naturalem, in qua significatione h.l.  
Voluntatis genus constituit, quod probatur ita: Si volun-  
tas est in anima aut erit affectus, aut facultas, aut habitus.  
Sed Voluntas est in anima. E. horum aliquid erit. Major est  
Aristotelis, qui *2. Eth. c. 4.* disertè ait, quod tria sunt in ani-  
ma, *τάχη, δύναμις, έξεις*. Non autem voluntas est affectus,  
quia semper permanet, quia in appetitu rationali, non sen-  
sitive consistit, quia non cadit in bruta, &c. Nec est Habi-  
tus, quia nec infunditur, nec acquiritur, sed naturâ inest, pri-  
mamque operandi sicut facultatem. Relinquitur ergo quod  
sit *δύναμις* facultas seu potentia.

§. 8. Cùm autem potentia præprimis dispescatur in  
activam & passivam, quæritur, qualis sit Voluntas? [Resp.  
prout hic à nobis spectatur secundum naturam suam & re-  
spectu Objecti naturaliter à se apprehensibilis, ut actus pri-  
mus, Activa Voluntas est potentia. Quando verò conside-  
ratur in ordine ad Objectum suum, à quo movetur, passiva  
potentia dici potest, nam moveri est pati. Similiter, quan-  
do consideratur quoad actus immanentes, qui in eâdem po-  
tentia, in qua fuerunt producti recipiuntur; Recipi autem  
est